



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De quodam monacho nostro, qui iam moriens primò plenariùs fecit  
confessionem, cap. 23

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

Abbas Deum, & glorificaberis in miserationibus illius. Quotidie solitus fuit mundare conscientiam, nec differre confessionem suam de die in diem, sicut multi faciunt: qui etiam post mortem miraculis claruit. APOLLONIVS: Sicut colligo ex verbis Episcopi huius, non est perfectorum confessionem differre. CAESARIUS: Dilatio ista confessionis ad memoriam reuocat casum quendam, qui anno praeterito apud nos contigit.

## CAPVT XXIII.

**Q**uidam ex senioribus nostris, quem nolo nominare, habebat hanc consuetudinem, sicut caeteri multi, saepius reuocare confessionem, ita ut Abbas putaret quod generalis esset, eo quod a pueritia usque ad senectutem peccata sua commemoraret. Ante mortem suam per aliquod tempus debilis, subito defecit & obmutuit. Accurrimus omnes, inungentes eum oleo sancto. Die, ut puto, sequenti dominus Abbas venit, in cuius aduentu Dei misericordia desperati linguam reserauit, & cepit confiteri peccata quaedam mortalia, ante conuersionem commissa, quae nunquam ei fuerat confessus. Territus vero Abbas, requisivit si vnquam eadem fuisset confessus peccata, Aliis, inquit, Abbatibus dixi ea, habuerat ante ipsum tres Abbates: & sicut retulit nobis Abbas noster, propter hoc Dominus, qui magnos eius labores respexit, os aperuit, ut esset confessio eius integra. APOLLONIVS: Quid si aliis Abbatibus, de quibusdam peccatis mortalibus nouissimo confessis Abbati, simili modo aliqua ex verecundia subticuerat? CAESARIUS: Sicut dixi in primo capitulo huius distinctionis, sicut confessio esse debet nuda & debita, ita esse debet integra & pura, id est, non per plures confessores debet esse diuisa. Quid prodest, ut ait Beda super Lucam, si tota custodiatur ciuitas, & vnum foramen, per quod hostes intrent, relinquatur? Audi quid dicat Osee Propheta de semiplene confitentibus: Colligata *Osee 13.* est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius, dolores parturientis venient ei. Spero autem

*Confes-  
sio non  
facienda  
ei, cum  
quo pec-  
cauit  
quis.*

eum alicui Abbatum integram fecisse confessionem, quia vir erat prudens, & multas vidimus in illo virtutes. APOLLONIVS: Si peccaret confitens cum confessore, posset ei fructuosè eadem confiteri peccata? CAESARIVS: Talis confessio nulla\* est, quia nulla ibi erubescètia, neq; aliqua ibi denudantur peccata. Dicam tibi pro exemplo, & ad solutionem tuæ interrogationis, quendam mirabilem casum, qui ante paucos annos contigit, quem dominus Abbas Cystericiensis omnibus Abbatibus in generali capitulo loco sermonis recitauit, monens vt linguli cū monachis suis in cautelam referrent.

*\* Videtur autor presumere in istiusmodi confessione esse verum dolorem de peccatis, dum tans opere refugit peccator erubescèntiam. Vel quia deest in Confessione potestas iurisdictionis.*

## CAPVT XXIV.

**I**N quodam, inquit, monasterio sacerdos quidam nuper defunctus est: cui Abbas suus ob meritum vitæ iniunxerat, quatenus fratrum suorum confessiones audiret: nomen verò domus & personæ subticuit. Erat in eadem domo adolescens quidam, qui ad eum confitendi causa frequenter venit, cum quo diabolo instigantè, & humana fragilitate consentiente, idem confessor semel tantummodo peccauit. Statim opere perpetrato, coepit dolere & flere amarissimè, dicebatq; iuueni: Malè fecimus, aliis hoc peccatum confiteri ob verecundiam non possumus, sed consulo vt tu mihi confitearis, & ego tibi, alterq; ab altero suscipiat pænitentiam. Quid plura? Placuit iuueni cōsiliū, confessi sunt peccatum inuicem, & tam durā vnus ab altero suscepit pænitentiam, qualem nec Abbas siue aliquis confessorum illis iniunxisset. Paruo post tempore sacerdos idem infirmatus est vsque ad mortem, & cū iam in extremis ageret, & ad exitum festinaret, timore gehennæ peccatum vtriusque dixit, personam verò, peccati consortem, non expressit. Defuncto eo, Abbas vehementer doluit, quòd scire

non